

II. A vocatione ad officium non procedet conclusio ad vocationem, que fit ad salutem. Sic Iudas Iscariotes vocatus fuit ad officium apostolicum non ad salutem.

III. A vocatione externâ ad internam, & vice versa, non valet consequentia. Nam villa est inefficax ad salutem, hæc secus se habet.

IV. A vocatione simplici ad coniunctam, non valet conclusio. Est autem vocatione simplex vel externa tantum, vel interna tantum: coniuncta est externa & interna simul. Primo modo vocantur hypocrites: secundo pauci electi, & quidem extraordinariè; tertio plerique electi ordinariè.

V. Vocatio interna & electio ad salutem reciprocantur. Hoc docet apostolus Rom. 8. 30. Secus se habet vocatio externa, Matth. 20. 16. Itaque argumentum à vocatione internâ ad electionem, & retrò, valet.

VI. A vocatione ad salutem immediatam & extraordinariam non licet argumentari ad mediatam & ordinariam, aut contraria. Est enim imparatio.

VII. A voluntate signi ad voluntatem beneplaciti Dei non semper valet argumentum in vocatione divinâ. Ratio est; quia voluntas signi interdum est absoluta, interdum conditionalis. Ita cum Deus juberet Abraham mactare filium Isaacum, & cum Ninevitis commisaretur interitum, vo-

D s luntas